



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

3. Secunda pars majoris principalis probatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

Quaest. II. In quo consistat actus liber Dei. 309

Deum vocauerat Patrem luminum instar solis; at ne in hoc ipso decipiamur, monet Deum non pati mutationes perpetuas, quas sol patitur saepe obumbratus; Augustinus in *lib. de speculo apud Deum*, (inquit, non est transmutatio, & ideo apud Deum cursus temporis, diei, noctisque alternatione nequaquam variatur. Ratio à priori est, quia inter immutabilitatem, & veram mutationem nullum inuenies medium, etenim aut per vicissitudinis obumbrationem acquiritur aliquid reale, vel solum aliquid rationis: si primum vera est mutatio, si secundum nihil obstat immutabilitati, & nunquam redditor ratio, quare obstat, Pater Franciscus Suarez 2. tom. *Met. disputat. 30. sect. 9. §. ad veritatem difficultatem*, fuscè pariter, ac docte tractat rem hanc, aliorum refert & refellit sententias. Ego solum id, quod mihi verius videtur sic propono; concedo nihil fieri contra dei immutabilitatem directe, & immediate, ex eo quod Deus in tempore aliquid decerneret; inde tamen in deo probari vitium morale, & animi inconstantiam directe, & immediate, & indirecte physicam mutabilitatem.

Vt id explicem, sumo scientiam simplicis intelligentiae antecedere omnia decreta diuinæ voluntatis illamque proponere rerum omnium amabilitatem, & modos eas producendi, rationesque, & motiua, quibus voluntas Dei moueri poterat ad ea producenda, aut non producenda. Præsupposita hac scientia ratione nostra possumus considerare diuinam voluntatem se gerere tribus modis in æternitate erga hæc obiecta, primo suspendendo omne decretum liberum, & remittendo determinationem in tempus; secundò, partim quædam decernendo ab æterno, & quædam alia prætermittendo decernenda in tempore; tertio, denique simul ex æternitate decernendo omnia producere, quæ producturus est in tempore, & decernendo non producere, quæ non producturus est. Modo ostendo hoc tertio modo se gerere debuisset Deum, ut immutabilis esset à vitio inconstantiae. In suspensione omnis actus; primo est imperfectio potentialitatis, secundo quod tunc non esse creaturarum non esset directe voluntarium deo, quod absurdum reputatur à Theologis, ut tracto in materia de voluntate dei, *disputat. 19. cap. 5. Tertio* formo hoc argumentum: vel cognouit Deus ex æternitate suam voluntatem in tempore determinandam in aliquam partem vel non cognouit; si non cognouit, probatur imperfectio in scientia; cum aliquod ex iis extremis sit determinate cognoscibile; si cognouit, cum nulla sit ratio boni in dilatione determinationis ad tempus; nec illi possit representari à scientia non poterit Deus non statim ac proponuntur obiecta decernere, imò est ratio mali, scilicet carentia exercitij libertatis, perfectionis nempe positivæ pro tota æternitate à parte ante, sic Pater Herize ubi asserit esse de fide decretum prædestinationis non fieri in tempore, sed ab æterno fuisse, ut patet ex illis verbis; [quia continet veritatem de fide certam, ex cap. 23. *Numerorum*, & cap. 29. *Prouerb.*] & etiam efficaciter probat; ut patet ex toto contextu verborum illius.

Secundo etiam patet eadem veritas ex eodem Patre Herize *tract. 3. disput. 22. cap. 1.* ubi sic ait: [caput primum providentiam, & prædestinationem esse actus Dei immanentes & æternos; conclusionem in titulo præfixam quoad prædestinationem habet S. Thomas *quaest. 23. artic. 2.* & paulo inferius idem docuit Paulus 1. ad Corinth. 2. ubi: [loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ

abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram, ibi agit de prædestinatione Christi, quam vocat absconditam, quia est latens in mente Dei ante omnem æternitatem, ut recte ait Tertulianus *lib. 5. in Marcionem, cap. 6.* ibi: sed de significantiis obumbrata, in quibus sapientia dei delitescbat inter perfectos narranda suo in tempore; proposita verò in proposito Dei ante sæcula; quæ vltima vox vere æternitatem significat. Augustinus in præfatione in Psalmum vltimum explicans illud Pauli ad Rom. 8. nam quos præsciuit, hos prædestinavit, vocavit, iustificavit, glorificavit; acutè animaduertit Paulum distinxisse præscientiam & prædestinationem à vocatione, iustificatione, & glorificatione; sic dicens, prædestinatio nostra non in nobis facta est, sed in occulto in eius præscientia; tria vero reliqua in nobis sunt, vocatio, iustificatio, & glorificatio: Denique Fulgentius, *lib. de incarnatione Verbi, in fine*, dicens, veritatem prædestinationis sine errore negari non posse, quia nos inquit, ante mundi constitutionem prædestinatos testatur Apostolus: nolo plura, res enim perspicua; sed obijciens primo, prædestinatio non est solum præscientia, sed etiam præparatio beneficiorum Dei secundum definitionem Augustini: licet ergo præscientia sit actus immanens, atque æternus; præparatio vero, videtur temporalis, & externa, quippe quæ versatur circa rem existentem, & eam disponit ad finem: ergo prædestinatio non est actus immanens, & æternus.

Obijciens secundo; providentia non est actus immanens, & æternus: ergo nec prædestinatio, has proposui obiectiones, ut rem magis expedirem. Ad primam obiectionem duplex præparatio distinguenda est, alia interna existens in actibus intellectus, & voluntatis artificis, alia externa, ut quando artifex dat signa ad efformandam effigiem, hæc ab illa proficiscitur, veluti à propria causa; prædestinatio vero, & providentia non est præparatio externa; est enim hæc effectus eius sed interna, quæ est actus immanens, & æternus, licet vero versetur circa media, quibus subiectum dirigitur in finem; non vero circa subiectum iam actum & existentem, sed circa subiectum futurum ex æternitate.

Ad secundam obiectionem negandum est omnino antecedens, ut constat ex S. Thoma in *artic. 2.* verba rectè in principio huius nostri capitis, qui ut probet prædestinationem esse actum immanentem, utitur medio ex providentia deopto, quatenus prædestinatio est pars eius, & ait providentiam non esse in rebus prouisis, sed in mente prouisoris; ad probationem iam dixi providentiam, licet demus versari circa media tantum, ratione solum supponere subiectum futurum ex æternitate, non vero actu temporaliter existentem.

SVBSECTIO III.

Secunda pars maioris principalis probatur.

EX Paulo ad Rom. 8. [scimus, quoniam diligenter, quibus deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti,] utique [secundum propositum liberum voluntatis dei,] non ex aliqua necessitate, unde subdit, [nam quos præsciuit, & prædestinavit conformes fieri imaginì filij sui, indicans differentiam inter verum

Q. 9. 3. Filium,

Filiū, & fratres eius, quod ille solus talis est per naturam & ex necessitate; ij vero prædestinatione, ac proinde libera Dei voluntate. Vnde Paulo inferius prædestinatos vocat electos Dei, dicens: [quis accusabit adversus electos Dei?] electio autem actus liber est: ergo & prædestinatio; quod apertissime idem Paulus confirmat ad *Ephes. 1.* dicens: [prædestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ; quibus verbis voluntatem Dei liberam significavit, ut patet ex supradictis, ubi probavimus, dari libertatem in Deo, & hunc locum maxime illustrat P. Suarez ad hunc propositum in *opusculis, in propria relectione de libertate Dei.*

Idem docent Augustinus, Prosper, Fulgentius, & alij dicentes: [ea Deus prædestinasse, quæ fuerat ipse facturus:] quomodo loquitur etiam Damascenus *lib. 2. de fide, cap. 30.* est autem de fide certum, quæ Deus facit, libere facere: ergo quæ prædestinat, libere prædestinat; item providentia Dei libera est: ergo prædestinatio, quin potius ut Augustinus sæpe docuit in hoc actu maxime cernitur libertas diuinæ voluntatis, quia non solum liberum ei fuit prædestinare, aut non prædestinare, sed etiam pro libera voluntate sua hunc potius, quam illum prædestinavit; propter quod etiam vocatur hoc opus maximum opus gratiæ, & liberalitatis ab Augustino de *prædestin. Sancto- rum, cap. 15.*

Atque hinc oritur quod licet certissimum sit, prædestinationem esse in Deo, omnino tamen incertum nobis sit, an prædestinatio sit huius, vel illius hominis, quo sensu definiuit Concilium Tridentinum *sess. 6. cap. 12. & can. 15. & 16.* nemi nem posse esse certum de sua prædestinatione absque speciali revelatione. Ratio enim est, quia hoc pendet ex libera Dei voluntate, cuius determinationem nos cognoscere non possumus, donec vel effectum eius completum videamus, vel revelationem eius habeamus; effectus autem prædestinationis non completur, usque ad gloriam, & ideo in hac vita sine revelatione cognosci non potest; præterea quia prædestinatio est voluntas de dono supernaturali; sed donum supernaturale creatum non potest Deus velle necessario, sed libere; quia non est debitum alicui entitati: ergo prædestinatio est libera respectu Dei, & hoc omnes scholastici, nullo dubitante tanquam articulum de fide docent, ut videre est in Patre Suar. *lib. 1. de essentia prædestinationis, cap. 3. num. 3.* ibi: Primo ergo dicendum est absolute, ac simpliciter loquendo, prædestinationem non convenire Deo necessario, sed esse actum liberum Dei, est res de fide certa, & P. Didacus Ruiz *tom. de prædest. disp. 1. sect. 4. num. 3.* ibi: [Dico igitur primo prædestinationem in Deo esse: est de fide; prædestinationis autem fides multa sanctorum autoritate scripturarum munita est, ut Prosper ait in eodem *1. cap. Gallor. post medium*, idque dictum est optimo iure; quia licet expresse prædestinandi verbum paucis legatur in locis, nimirum *Romanor. 8. & 1. Corinth. 2. ad Ephes. 1.* cæterum ex aliis quamplurimis locis euidenter colligitur, in quibus asseritur, nomina quorundam scripta esse in cælis, vel in libro vitæ; vel aliquos esse electos à Deo, vel à Patre trahi, & dari Filio, vel regnuros cum Deo, vel eis paratum esse regnum ab origine mundi vel Deum, quibus vult misereri, & quos vult indurare, vel à peccatis mundare, & liberare vel sortem mittere, vel mercedem, brauium, aut præmium aut retributionem promittere vel reddere, vel generationem Dei servare quosdam, vel ex Dei semine natos, vel

filios Dei fieri vel ipsorum esse regnum cælorum, aut terram viventium, vel visuros esse Deum, aut Regem, & eiusmodi verba quam plurima.

Quod etiam docet ipse Herize ubi supra, imo 103 omnes aduersarij, qui nostram sententiam tuentur; quia tam clara sunt scripturæ loca, tam manifestæ Conciliorum testimonia, tam perspicuæ traditiones Ecclesiæ, quibus hæc veritas aperte, & manifeste continetur, ut ipsi nemo non solum catholicorum, imo neque hæreticorum expresse negare ausus fuerit, ut docet P. Ruiz *disp. 1. de prædest. sect. 5. num. 1. in principio.*

Ego autem data opera tam longe, ac late probavi hanc veritatem, tum quia vis tota nostri syllogismi huic veritati adæquate, & totaliter innititur; unde si hoc pro certo, ac rato statuatur, irrefragabilis videtur totius discursus vis, & fortitudo, tum etiam quia licet nullus catholicorum expresse neget veritatem hanc, attamen aliqui scholastici apprimè catholici ex nostris aduersariis re ipsa negant hanc veritatis certitudinem, ut possint defendere suam opinionem; qua docent actum liberos Dei constitui formaliter non solum per entitatem diuinam, sed etiam per actionem extrinsecam, aut terminum illius; ut autem hoc vnicum effugium illis præcludatur operæ pretium duxi tam firmis fundamentis corroborare & confirmare veritatem hanc huc usque ab initio Ecclesiæ sine ulla dubitatione, & reiteratione pro dogmate fidei diuinæ revelationi innitente habitam, & receptam, à nulloque non solum non negatam, imo neque in dubium reuocatam. Ex quibus colligere possumus, imo clare perspicere quantum humana machinetur mens, si præmatur alicuius rei abstrusa difficultate.

SVBSECTIO I.

Reliquæ propositiones primi syllogismi demonstrantur, & solutiones aduersariorum refelluntur.

Minor sic demonstratur, quia constitutum est. 106
Mentaliter & formaliter non potest dari in aliqua mensura durationis, in qua non dantur omnia constitutiva formalia, & essentialia illius; sed si decretum liberum Dei prædestinandi homines constitueretur formaliter, & essentialiter per actum creationem, seu productionem termini creati, & producti omnia constitutiva formalia, & essentialia talis decreti prædestinandi non essent æterno, neque in illa mensura durationis, quæ ab æterno dicitur: ergo si decretum liberum Dei constitueretur per actionem, seu productionem formaliter, & essentialiter non esset ab æterno tale decretum Dei, nec posset cum veritate dici, Deum ab æterno prædestinasse libere, & absolute homines ad gloriam. Maior est certa; ideo enim Antiquæ ad gloriam. Maior est certa; ideo enim Antiquæ christus non est nunc actu existens, quia omnia constitutiva illius non sunt actuzimo D. Petrus non est actu, quatenus hic homo, vel hoc totum constitutum, quia actu non existunt omnia constitutiva essentialia D. Petri, licet existant principalitativa essentialia illius; nam existunt anima D. Petri in cælo, & corpus in terris, & quia solum deficit vnio, quæ est minimum inter constitutiva illius, non datur D. Petrus nunc, & ratio est à priorius, non datur D. Petrus nunc, & ratio est à priorius, quia res non potest esse sine essentia adæquata illius, quia essentia est id, sine quo nec esse nec intelligi potest res; ergo constitutum non potest esse